Bibliothèque numérique

medic@

Cressé, Pierre - candidat / Thevart, Abraham - président. - An Arthritidis Thee Sinensium ?

1657.
Paris
Cote : ms 78 n°1073

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x07x1073

1073

ILLVSTRISSIMO FRANCIÆ CANCELLARIO.

GEMINAM hic in vna effigiem dedico (Illuſtriſſime Cancellarie) & Regis, & tuam. Imago ſcilicet ipſe es regiæ maieſtatis, non muta illa, cuiuſmodi deorum coli ſimulachra conſueuerant; ſed viua vocaliſque, quales fuiſſe memorant in vetuſtate paucas, quæ numinum ſuorum oracula reddebant. Verum hoc intereſt, quod vocem ijs ſuam commodaret deus aliquis, tu Regi commodes tuam; illæ præſidis duntaxat numinis oracula canerent; tu & regia perſæpe, & frequentius tua proferas; neque aliam ſis ob cauſam edendis regijs adſcitus, quam quod idonea viderentur tua, quæ regio nomine funderentur. Neque vero dignius vnquam maieſtate ſua reges noſtri, quam per te, loquuti ſunt. Nunquam ab ijs ſapientius de repub. de iure ſanctius, de ſacris religioſius reſponſum eſt. Habebas ſcilicet & a natura & a virtute prouiſum, vnde tanto muneri ſuſtinendo par eſſes. Iuſtitiam tibi ſuam non commiſit Ludouicus Iuſtus, ſed in te repertam regia poteſtate inſtruxit: non dedit maieſtatem, ſed quam inuenit in te, regiam auctoritate ſua fecit. Debes hoc principi, quod ſplendorem illum acceperis regiæ maieſtatis: debet tibi princeps, quod maieſtatem ſuam tot ornamentis illuſtrem reddideris, tot doctrinis admirabilem, tot venerandam virtutibus, tanta religione ſacroſanctam: debent vero & virtutes & doctrinæ tibi, quid in eo dignitatis, quem obtines, gradu collocatæ ſint. Et virtutes quidem quam non ſint ingratæ, libens agnoſcis: doctrinæ vero quam ſint memores beneficij, ſi experiri ipſe præ modeſtia non vis, immortalitas intelliget. Harum e numero per me hodie Medicina prodit, non oſtentandæ virtutis ſuæ gratia, ſed profitendæ clientelæ. Quidquid enim hæc ſibi aliorum cauſa gratuletur, quidquid tua poſſit: parum ſe fatebitur poſſe, dum prorogandæ tibi in æternitatem vitæ deeſſe ſibi facultatem intuebitur. Hæc enim vno, ſatis officio ſuo facere, ſatis meritis tuis, vtcunque poſſet. At ſi vita nequit, nominis certe perennitatem, conſpirantibus artium cæterarum ſtudijs officijſque, tribuet. Ego partes in illo choro meas, dum viuam, ſuſtinere non ceſſabo, effigiemque tuam, tanquam & regiæ maieſtatis, & heroicæ virtutis imaginem, vtroque nomine religioſiſſime colendam, orbi terrarum oſtendere. Interim donarium hoc quamlibet tenue, quod ad eam appendi, ſempiternæ deuotionis pignus eſto.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIX. NOVEMBRIS

M. ABRAHAMO THEVART, Doctore Medico, Præſide.

An Arthritidi Thee Sinenſium?

CORPVS noſtrum circulus eſt: in hoc humani rotantur caſus; vnum ortus & occaſus limen; Animarum via ad vtraſque cœli portas via: cur ita? idem partium principium & finis, idem & morborum. Quælibet pars ab omnibus accipit & omnibus dat; venter capiti, caput carnibus ac venis, & reliquæ omnes mutuis inuicem ſibi gratulantur officijs, fœlix, ſi natura ſui ſemper iuris eſſet, commercium. Cœleſtis hæc noſtræ ſortis [illegible] ſapientiæ quæ regit mundum æmula, iugi illa indefeſſâque motus reciprocatione machinam cui præeſt temperat, & quos ad ſui prædij irrigationem & fœcunditatem quoquouerſùm deducit ſuaue-rubentis humoris riuulos à putredinis labe conſeruat. Verùm quid? vbi ſupra naturam audemus, quæ penès inerat hâc fluxus & refluxus perennitate officiorum communicatio, funeſta euadit vitiorum propagatio: Hinc frequentes partium internarum ab exterioribus labes, frequentiora ab internis ad externas βλαστήματα, frequentiſſimi demùm ab vniuerſo corpore ad articulos decubitus, vnde ducta à partibus affectis appellatione Arthritis.

FATALIS mors à naturâ ſemper: A parentibus diſpoſitio ad morbos non rarò: Morbus à nobis pendet ſæpiſſimè: Arthritis infœlicis ſeminis infœlicius aliquando eſt germen: plerumque ipſis parentibus progenies vitioſior fundi, quem ab ipſis accepit, integritatem corrumpit, & dum intemperantiæ pandit ſinum cunctis quæ ex eius ſinu ſoboleſcunt, patet affectibus. Fruſtra de auis & proauis conqueritur arthriticus qui Bacchum & Venerem ſibi in parentes aſſumit: Bacchus non magis emollit curas quàm neruos, nec facilè diceris vtrum inter potiori iuuenis an ſenex olim depictus fuerit. Specioſior iuuentæ vt eſt largitor, ſic præcocis & immaturi ſenij eſt author. Venus quæ animæ præbet incunabula, corporis vt plurimùm diruit fundamenta: & vt nobis prælucet ad ortum, ita, ſi iuſtam miſſionem non habet, præliatur ad interitum, hanc viuendi legem qui ſequuntur, dum ſatisfaciunt genio, genium defraudat, dumque cæco appetitui à cæciore imaginatione ducto ſeruiunt, tum partes in quibus ambæ illæ facultates dominantur, hepar nempe & cerebrum debilitant, tum membrorum quæ ſuæ libidini famulantur, artuum dico compagem & robur frangunt; hinc ſeroſa multa colluuies ſtabulatur in venis, quæ vbi multitudine naturæ grauis euaſit, aut nimiâ cunctatione ſibi comparauit aculeum, in articulos tandem, conformatione, ſitu, & ſiccitâ debilitate excipiendis fluxionibus imprimis idoneos, operâ facultatis excretricis effunditur: ſicque pro quadruplici articulorum, quos dolor obſidet, differentiâ, quadruplicem arthritidis ſpeciem curandam proponit.

ARTHRITIS non tã morbus eſſet quàm Panacea ſi aſpergeretur Nepenthe. In hac exteriora dum ſordent, nitent vt plurimùm interna, ſicque paucis occaſio mortis, pleriſque cauſa ſenectutis exiſtit. Naturâ dicas hoc in caſu prudentum Imperatorum more ſe gerere, qui vt ab hoſtibus defendant vrbis pomœria, non rarò comburunt ſuburbia. Quid itaque, an ideò dum arthriticus hygeam vocat in vota medicas adhibere manus ad vulnera paſtor abneget? Sanè permoleſtum illud eſt quodcunque inde natura ſibi polliceatur beneficium, dumque hæc corporis noſtri ſoſpitatrix procelloſam, cuius mole obrueretur, longè amandat colluuiem, hoſtis ſibi infenſiſſimi, doloris nempè cadit in manus. Huic igitur ſuppetias ferat Medicus, & quem illa ab arcis ſuæ penetralibus eiecit tyrannum ipſe extra vallum proturbet. Certa procùl dubio ipſum manebit victoria, ſi quæ partibus principibus inuſtæ ſunt intemperies extinguat; ſi quibus fouetur hoſtilis exercitus commeatus intercipiat, eiuſque tandem diſcutiat reliquias.

ANNIBAL eſt ad portas, ſtringatur ferrum, falleris ſi parcas cruori, tanta pernicies niſi magnâ ſanguinis iacturâ premi non poteſt: molliori manu ſi tractes, ferocior euadet; ſi fortiori, comprimet ſpiritus, hac ratione qui exæſtuant latices ripaſque neſciunt, deferueſcent & bella pluſquam ciuilia quæ per totum corpus ſæuiunt reſcindentur. Caue tamen hoſtem aduerſâ fronte percutias, ſtultum eſt contra torrentem è directo obniti: ſi ſapis cuniculos age, & vt fiat humorum diuerſio partes oppoſitas feri; interim fomentis & deliniementis fallendus eſt aduerſarius, imò & aliquando ſi inſtet acrius, & impares videantur vires, ſomno, Narcoticorum opè, ſepeliendus. Tunc temporis natura colliget animos, & quem aperto marte laceſſere periculoſum duxiſſet, profligabit ex inſidijs. Compoſitis hâcce induſtriâ motibus, radices mali mox reſecandæ, falcem ſubminiſtrabit purgantium claſſis: Verùm vetuſtiùs eas, leniori gradu progredere: ſolet hic morbus lenioribus cedere, recrudeſcere vehementioribus. An tamen interdum Achilleis erit locus? aliquando ſanè, ſed non niſi ſummâ cum præmeditatione id faciendum. Supereſt vt fluctuantes per articulos reliquias diſſipemus; partiumque ab illâ irruptione effœtarum reſarciamus ruinas.

PEREGRINATVR in Medicina qui remedia peregrina non admittit. Natura quidem in iis quæ ad ſui conſeruationem neceſſaria ſunt nullibi deficit, iis omnibus quæ ſibi extrinſecùs accidunt vbique non prouidit. Cuilibet genti fundit humo facilem victũ iuſtiſſima tellus; cuilibet morbo proprium vbique non ſuggerit præſidium: ineſt vtcumque medicamento cœleſtis quædam virtus, hâc maximè prægnant plantæ quæ primos ſolis afflatus excipiunt. Extremos currit mercator ad Indos, inde certum Arthritidi tum præcauendæ tum diſcutiendæ deuehet Alexipharmacum. Naſcitur in ſolo Sinenſium ſolo pretioſus quidam frutex Thee vocant indigenæ. Hæc planta Phœbi eſt primus amor: in hanc ſparſit ſalubris ſuccos ambroſiæ. Foliorum eius exſiccatorũ drachma vna in aquæ feruentis ſemiſextarium coniecta ebulliat donec ſubrubrum & ſubamarum percipiatur decoctum, hoc cola atque inde ſaccharo paulo temperatũ ſeruens, à paſtu etiam ſorbe, ſi non immortalitatis ſaltẽ vitæ longioris pharmacũ hauſiſti. Calefacit in primo gradu, ſiccat ad principiũ ſecundi, nulli non parti conſociale, ventriculum corroborat, appetitum promouet, coctionem iuuat, crapulam ſoluit, iecoris tonum ſeruat, lienem defæcat, renes deterget, cerebrum animat, ſomni vices implet, totius corporis colluuiem exhaurit, ſpirituum irradiationem accelerat, laſſitudines emollit, artus liberiores reddit: dicam paucis, diuino hoc poculo venientem & abeuntem arthritidem excipiat arthriticus.

Ergo Arthritidi Thee Sinenſium.

F.E.P.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iſaacus Renaudot.
M. Antonius Morand.
M. Petrus Regnier. Prof. Botan.
M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.
M. Simon Boulot.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux.
M. Petrus le Comte.

Proponebat Lutetiæ PETRVS CRESSE', Pariſinus, Anno Domini M. DC. LVII.